MEDITATIONES
ΕΥΚΤΗΡΙΑΙ
&
ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΑΙ,

Quibus

ΘΕΩΡΙΑΙ THEOLOGICÆ
reducuntur in Πρᾶξιν.

Per

THOMAM TONGE,
S. S. Theologiæ Doctorem.

Meditatione legis voluntaria mihi ſervatur humilitas, ut pœnalis evadatur humilitas.
Hæc Meditatio, niſi eſſet in fide, quæ per dilectionem operatur, nunquam propter eam poſſet ad vitam quiſpiam pervenire. *Aug. in Pſ.* 118.

Sapienter ambulate, Col. 4. 5.
Redimite opportunitatem, quoniam dies mali ſunt. Epheſ. 5. 16.

Omne tempus nobis impenſum, à nobis exigetur, qualiter ſit expenſum. *Bern.*

LONDINI,
Typis *T. M.* pro *Andræa Crook*, & proſtant ad inſigne Viridis Draconis in cœmiterio *Paulino*. 1654.

2—

Jehoſch.1.8. *Meditaberis in libro legis interdiu et nocte, ut cum obſervantiâ facias omninò, prout ſcriptum eſt in eo.*

Pſal.63.6. *In vigiliis meditor de te.*

Pſal.77.12. *Meditabor unoquoque opere tuo, de actionibus tuis confabulabor.*

Pſal.104.34. *Suavis erit de eo meditatio mea, ego lætabor in Jehova.*

Pſal.119.ver.15. *De Mandatis tuis meditor.* ver.97. *Lex tua eſt meditatio mea toto die.*

Christianæ Meditationes.

Meditat. I.

De Mundi vanitate.

Quò me vertam, ubi Mundi vanitatem non intuear, & discernam? In omnibus adest obsequii Diabolici studiosissimus mundus: Patiens est laboris; sitim, frigus, omnia passurus quò aliquod officium Satanæ præstet: Carnem tentans; sese elevans supra mandata divina. Satanæ est Athleta fortissimus, qui an mandatis Satanæ paratior, an artibus suis peritior, sanè nescio. Mundum discerno quasi Agonem, certaminum plenum; ubi omnes certant, sed perpauci redeunt victores; Circenses habet ludos, eósque artificiosè paratos, in quibus cursores sunt omnes omnis farraginis homunciones; Avari, quibus tam deest quod habent, quàm quod nõ habent; per fas, nefásve certant, currunt, sudant quo divitias colligant; in quibus urendis non minùs inopes sunt, quam si non possiderent, in mundo delectantur. In hoc discrimine unicè differunt, avidè habentes, & nihil habentes, quòd

hi cirendo, illi non fruendo conditionem defignant: Aut non habita concupiſcunt, ut habeant; aut acquiſita metuunt ne amittant. Turpe lucrum, potiùs quam damnum eligunt: lucri bonum odorem eſſe ſentiunt ex re qualibet, ideóque omnes complectuntur artes, ex quibus lucrum elicere poſſent. Appetunt utilitatem, & ad eam rapiuntur; negligunt ſalutem, & de hoc Dæmon lætatur: Cum phrenetico rident, & cum ſtolido ridentes ad cippos currunt: ſibi enim laqueos parant, dum iſta petunt. Quis enim neſcit Achani cuneum, & Dagonis domum iis excidium attuliſſe? Currunt etiam ambitioſi in Circo mundi: et hi in Aucupio honoris ſemper verſati ſunt; ſomnum oculis, quietem animis nullum admittunt: ſuperbè aſcendunt, periculoſè ſedent, & celeriter decidunt; in quo elatiore ortu, & graviore caſu principem illorum imitare ſolent. In mundo etiam omnes voluptuoſi qui pro brevi voluptate periclitantur de ſalute. Irati omnes in mundi Ariâ ſemper ſæviunt, & intumeſcunt, & officia Satanæ perquam grata præſtant. Invidíque omnes, qui de alterius bono non minùs dolent, quam de illius malo gaudent: quorum malitioſa conditio mundo maximè arridet. Inertes itidem omnes, qui in ſilentio vitam tranſeunt, velut pecora; iſti omnes currunt in Circo mundi, & multum commodum afferunt ærario cosmico. Ut Diabolus ſuggeſtiones noxias ingerit, ita mundus eas urget, & occaſiones boni priùs removet: turbam poſt ſe cæcam, & nudam, & illaqueatam: eámque funibus peccatorum trahens in circuitu ſuo de vitio in vitium: et ſi aliquando arridet mundus, decipit: quæ priùs dedit, citò & in maxima forſitan neceſsitate reaſſumit: nam ut voluptates mundi terminant, ita divitiæ ejus avolant. Idcirco verè dicam, vanitas vaniſsima, iſta omnia ſunt vanitas. Quid enim emolumenti eſt homini ex toto labore ſuo, quo laborat ſub Sole? Vidimus omnia facta quæ

fiunt

ſiunt ſub Sole, quod ecce, iſta omnia ſunt vanitas & afflictio ſpiritus : & ſi annos multos vivens homo in eis omnibus lætetur; attamen recordari eum oportet, dies tenebrarum multos eſſe illos : quicquid attamen evenit, vanitatem eſſe. Quò avolam itaque (mi bone Deus) ni ad te ? qui major es mundo, ac mundum creâſti : detege ejus inſidias, ne decipiat me ; dirige meos pedes, ne obruat me ; oh tu qui mundum vicisti, ac es agnus Dei qui mundi peccatum tollis, et pro eis rogas quos è mundo liberâſti, libera me è mundi tentationibus, per ſacra tua merita. Amen.

MEDIT. 2.

De Carnis voluptate & indulgentia.

QUantum (heu) dominium contra animam exercetur à carne ? cuius ſuperbia tanta eſt, ut ſeſe elevet (ancilla) contra animæ (heræ ſuæ) mandata, imò contra Dei præcepta. Mors ab eâ negligitur, quamvis ei ſubjicitur. Cum mors ei appropinquat, audactèr et imperioſo quaſi more eam ut ſuo hoſpitio indignam præcipuè ſpernit ; et mortem, horrendum monſtrum, non ſuæ conditionis ſpectaculum æſtimans; mortis cogitationibus comptiores comites, lætiores ſocios, lautiores famulos, ſplendidiores hoſpites (pravas, ſcilicet, affectiones) et eas retinere cupiens. Lethò ſocietatis jugum nunquam inire cupiens ; talemque aſcendere thalamum horrens, qui ſibi ſpectram in ſponſum offert : Spreto verò conjugali iſto thoro, acceptoque virginali voto, delitiis et voluptatibus quotidie retinetur. Tempus itidem ab ea conſumitur, delicatula ſua membra ſuaviſſimis floribus demulcendo, optimis odoribus perfunden-

fundendo; digiti ejus chordis et fidibus dediti, cœruleis venis distincti, amatorios amplecuntur lacertos; Capilli ejus floribus ornati, vittis purpureis nitidè vincti, optimis odoribus uncti, radiis æstivi solis comparandi, lascivis gaudent choris; Procera ejus tempora primis primi veris floſculis amicta, et nivea brachia amatoriis amplexibus parata, ſenſualiter continuò delectantur. Agiles ejus docileſque pedes choreis et ſultandi artibus aſſueti, et elegantulum ejus corpus magnâ admiratione ſpectatum, permaximâ dilectione complexum, tenebrarum operibus ſopitum, ſecurè jacet. Penſa ejus ſunt ſuavia, et naturæ corruptæ conſentanea: nec æſtus diei nec frigora noctis perfert, ſtudiis mentem nunquam applicat, aliis voluptatibus ſeipſam ſervat; delitiis omnimodè affluit; crapulæ et ebrietati indulget; publicis feſtis intereſt, nectareis poculis immergitur, pretioſis veſtibus induitur; ad ſolennes epulas, et nuptias ſeſe invitat: Theatra et alia ſpectacula viſitat, circa laſcivas choreas verſatur, per totam noctem juvenilibus conſortiis delectat, in floridis lectulis diſcumbit; in æſtivis balneis vaporat; lautè epulatur, lætè dormit; et in omnibus quæ ad ſuam indulgentiam ſpectant, cupiditatem explet; negotia ſeria habere non optat; negotia ejus omnino ſunt mundana, nunquam divina: Præcipua ei incumbit cura circa victum et veſtitum; jentaculum ſibi in lecto opiparè paratur, nec aliquid ei deeſt, quod palato magis arrideat: quo pacto, ut in re nulla deſideriis ſuis deeſſet, ſicut oſtium ſuper cardinem in cubile ſeſe leniùs vertit, ſuaviorem ſomnum init; nihil magis expetens, quam forenſes lites, domeſticas ſimultates, publicos tumultos effugere, curiæ curas evitare, ſilentio vitam tranſire, otio vacare, ſemetipſam pinguiorem, et convivis blandiorem reddere. Tempore matutino (diffuſis priùs ſolis radiis per omnes lares et latebras) pretioſam aliquam veſtem

ſtem aſſumit, variis intextam coloribus, pulcherimis conſperſam floribus; Quæ priuſquam induatur, varias plerunque in ſententias diſtrahitur; nunc enim intendit talem ſtolam gerere, ut ſpectantium oculos magis attrahat; ſed ſtatim diſplicet, et aliam requirit; ea quoque aut gravis eſt nimis, aut mori temporis inconcinna; confeſtim itaque rejicit et aliam eligit, ſic totum matutinum tempus veſtibus eligendis conteritur, ſelectâque tandem veſte exit; nec intra proprias lares diù ſeſe continet, quò maxima hominum frequentia confluit, eò ſtatim properat; Allicientes blanditias quas in ſe invenit, nec comprimit, ſed ut ardentiùs ſcintillarent, iis fomitem præbet. Si florentem juvenem in confertiſſimo cœtu reperit, non citiùs aſpexit quam illexit: Relictoque animæ præſidio, quocunque cupiditas ſua trahit, eò feſtinat, et alios ſæpenumerò ſecum attrahit. Quemcunque videt, modò ſibi pareat, vulnerat; nec illæſa tamen redit, tam facilis et fragilis eſt naturæ, ut ab eo quem capit, captam recedit. Tempus ſcortando conterit; ſi verò mœcham talem invenerit, quæ amplexibus ſuis verè digna habeatur, ad cubiculum ducit tapetibus nitidè inſtructum, amatoriis delitiis plenum: aut ſi aliò carnis cupido trahat, epulis ſeſe indulget, amatorum fabulas audit et narrat; publica ſpectacula inviſit; et ſi in apricis campis elegantiis floridi veris ornatis mechâ ſuâ perambulat; ibi manu in manum, brachio in brachium innexo, laſciva laſcivis mutuò retorquet: Hiſce defatigata, ſub opaciore arbore, lætiore umbrâ, ac redolentiore fronde gratiſſimâ diſcumbit comite ſuâ; vel in Baias ex propoſito paratas intrat, ubi leniora ſua reficiuntur membra: Minima ſua cura eſt probitatis aut ſapientiæ quæſtus. Mollities eſt quam quærit, in mundo requietorium ſuum habet. Vitam cœleſtem ſpernit, modò delitiis fruatur terreſtribus. Animæ objurgationes negligit, et blandiore vultu eam

ſæpenu-

ſæpenumerò placat. Animam etiam plerunque in oratorio relinquit, ubi ſi diù maneat, illecebroſa ſua menti ſuggere non deſinit, quò minus voluptatis in ea exercitatione acciperet, quæ carni ſemper tam faſtidioſa fuit. Interim enthea ſuæ heroinæ monita negligit, et rejicit, ſed à cœpto ſuo nequaquam deſiſtit; ſemper alicujus novæ et inauditæ illecebræ ſomitem callidè ſuppeditat, quæ mentem à ſacris non ſolum ſubducit, ſed etiam amorem divinum diminuit; ſæpenumerò animam tentat, et decipit, dicens ei, Rigidè nimis et aſperè tecum agis, an pulchritudinem tuam unquam reſpicies? Tene tibi, ſemper inimiciſſimam geres? Parce oculis tuis tandem, tardius lachrymis effluant. Parce genibus tuis, ne genua in cornua redeant. Nimis diù clauſtralem egiſti vitam. Lætiores tibi eligam ſocios, modò cubiculum deſeras, et mundum intres. Caro denique tentando ſæpe prævalet, et illecebris ſuis aurem placidè applicat anima. O quam lætè tranſeunt horæ carnalibus in aleis, quam lentè in aris! Quam tacitè in mundi Areis, quam tardè Dei atriis! Mortis horret cogitationes, et cupiditates ſuas non extinguit, ſed explet; imaginationes ſuas proprias non coercet, ſed diſtendit: proſtibulo potiùs ſeſe tradens, quam ſepulchri hoſpitiò; imò verò mille mundi eam ad lethi præſentiam tam horribilem, et ei exoſam nunquam pertraherent. Hamum ſemper pendentem habet, et permultos illecebris ſuis capit. Animam alquando ab oratorio ad Theatrum, à fano ad prophanum trahit. Quid interim agat ille qui continuò carne circundatur? quò ſeſe vertat homo, ni ad te Jehova? Querelas ſanè meas faciam Davidis Ode, Hei mihi, quia peregrinor tamdiu in Meſech, et habito tanquam ſcenitæ Kedereni; Et verbis Apoſtoli; Ærumnoſus ego homo! quis me eripiet ex iſto corpore mortis? quicunque ſecundum carnem vixerit, futurum eſt ut moriatur; at ſi ſpiritu, corporis

corporis actiones mortificat, eum vivere facis. Ad alas itaque tuas (bone Deus) confugiam, tecum animam meam à carnis insidiis abscondam, ut in te meo Domino, et robore virium tuarum corroborer; carnem meam quæso deprime, concupiscentiam meam eripe, omnesque pravas affectiones meas adime, pro gloria liberrimæ tuæ gratiæ. Amen.

Medit. 3.

De Diaboli insidiis.

Quid agam Domine? refugium tutum ubinam inveniam à leone isto rugiente terram peragrante? Illius etenim insidiæ sunt profundæ, stratagemata callida, et victoriæ perplurimæ. Multos etenim habet consortes, milites, famulos et filios; magnam spem continuò retinens revocandi animam à pio suo proposito. Multum curat ne gloria sua deficeret. Maxima semper incessit ei cupiditas non solum imperium suum conservandi, sed augendi etiam. Quamdiu carni anima, animæ gratia dominatur, defluit potestas Saranæ: sed, ne pereat regnum suum, athletas suos incitat graviore quàm solito studio, ut somnum discuterent, surgerent, et inertiam transeuntes, ut fortiter pro imperio suo pugnarent, et in extremis eum ne deserant; omnes suos impugnandi vires retinet; carnem sæpissimè extimulat, carnales suas cogitationes menti importunè imprimere. De cibo et potu, de somno cæterisque ad carnis curam spectantibus ei sæpè suggerit. Mundum etiam muscipulam suam appropinquat, quæ incautas capit animas, dum saluti suæ minùs sunt prospicientes. Mundum consi-

continuò peragrat, blanditiis suis periculosiorem quàm molestiis; magisque cavendum cum se illicet diligi, quam cum admonet aut cogit contemni; minutum (inquam) peragrat, ut qui eum amplectuntur, voluptatibus (tanquam aquis) submergerentur. Multos habet Dæmon clientulos, eosque observantissimos, magnâ curâ, vehementique studio imperii sui fines augere quærentes. Mundus et libenter suas præbet subsidias, animam ubique obsidentes. Diabolus sæpenumerò commarionibus tentat, ac ut continuò vorax, ita mendax, illosque perimere sese ait, quos tangere nequit. Multos habet sibi servulos hominibus nimis familiares, qui sibi perquàm constanter adhæsuri sunt, et consilio suo mentem attentè incumbunt. Pluresque (heu)! inveniunt homines pudore magis quam bonâ voluntate prohibitis, abstinentes; semperque satagis, ut hunc pudorem eorum mentibus excutiat, ut nec sensum nec mali verecundiam retinerent. Præmia quoque promittit, at nunquam præstat. Eandem sæpe artem exercet, quam periti venatores designare solent, ad colorem montis aut nemoris sese induunt, quò prædam quam cupiunt, faciliùs capiant; eodem more molitur ille; nunc illic nunc hic, nunc agnum nunc lupum, nunc tenebras nunc lucem in sese ostendit, et singulis quibuslibet qualitatibus, locis et temporibus, secundum varias rerum mutationes varias exhibet tentationes: ut tristes decipiat, tristabitur et ille; ut gaudentes illudat, gaudebit et ipse: ut spirituales defraudet, in Angelum lucis sese transfigurabit: ut fortes comprimat, agnus apparet: ut mites devoret, lupus apparet; imò aperte sævire solet cum leone, et occulte insidiari cum dracone. Vix ullus (proh dolor!) qui tam callidè se gerit, qui erroribus sese non implicat, modò suis blandis tentationibus quæ lepidæ sunt, aut insidiis suis truculentis quæ variæ sunt, acquiescat. Magnum enim erit discrimen

crimen (mi chare Deus) inter humanæ fragilitatis obſervantiam (ni à te bone Deus clementèr opituletur) et diabolicæ fraudis aſtutiam, tam crebros imò continuos ſuſtinere conflictus, quem aſtutum fecit tam natura ſubtilis, quàm longa exercitatio malitiæ latentis, ut ei obſiſteret homo ac fugaret. Ex quo enim cecidit dæmon, filios Dei proſequi non ceſſavit, et in odium Altiſſimi perdere tentat iſtam creaturam, quam omnipotens tua manus ad imaginem tuam creavit, ut poſſideat gloriam iſtam, quam homo perdidit per ſuperbiam diabolicam. Da mihi Domine vniverſam illam Dei Armaturam induere, ut poſſim ſtare adverſus artes diaboli: Lucta etenim mihi non eſt adverſus ſanguinem, et carnem tantùm, ſed adverſus imperia, adverſus poteſtates, adverſus mundi principes (id eſt) tenebrarum ſeculi hujus, adverſus ſpirituales improbitates, quæ ſunt in ſublime. Induc mihi vniverſam illam armaturam Dei (Deus meus) ut tempore adverſo poſsim obſiſtere, et omnibus confectis ſtare; ut à te nunquam deficiam, ſed ut incontaminatus et inculpatus à te inveniar cum pace; et integer ſpiritus meus et anima et corpus inculpatè conſervetur in Adventum Domini Jeſu Chriſti, cujus meritis ſolis confido. Amen.

Medit 4.

De peccati fallacia.

QUamplurimæ parantur Inſidiæ ut peccato capcivum redderent hominem! Ah, bone Deus, quis monſtrum hoc deforme ac horrendum ſine tuo lumine cernat captus oculis? quoties ſub ſpecioſa ac fallaci forma lentos et ſecuros decipit? quot modis apparet peccatum

catum virtutis ſpecie indutum? quoties in diem transformatur hic Proteus? aliquando pulchritudine angelicâ indutus, aliquando moralitate civili imbutus, aliquando veriſſimè manifeſtatur proprio ſuo ſqualore ſerpentino. Sanctiſsimis mortalium mundo inferiori degentibus audaciter occurrit, et in lares ſuos intrare ſolet, et Syrenem ſeſe narrat: navigantes enim in hoc mundo, peſſimis incantationibus effaſcinare non deſinit; ô quam felices eſſent homines, ſi aures obſtruerent, quò minùs audiant. Peccatum etenim hamum ſemper pendentem habet, quo incautos decipiat: Illis qui ſuperbâ et elatâ ſunt mente, alta et ardua ſuggerit, eos ſuadendo inferioribus præbere contemptum, in publicis feſtis primas ſedes eligere; pauperum conſortiis ſeſe nunquam immiſcere, quando multò utilius ac ſalubrius iis eſſet, ſic cum inferioribus vivere quemadmodum ſuperiores ſecum vivere vellent. Similiter ſi avaros invenerit, inextinguibilem ſitem habendi ſine ſpe fruendi mentibus eorum immittit. Hi quantum magis capiunt, tantum magis cupiunt: Die fatigantur laboribus, nocte intempeſtivis curis; et quod omnium miſerrimum eſt, quantò minus indigent, tantò plus apperunt. Senes, quanto ſunt morti viciniores, tantò debent eſſe puriores; ſæpenumerò tamen accidit, ut avaritiæ ſint promptiores: ſenile enim malum eſt avaritia; et morbus eſt incurabilior ſene, quam in juvene: Si voluptuoſis occurrit, illecebras ſimiliter iis paratas habet; floridos et eburneos lectulos in quibus diſcumbant, flores et odores quibus laſcivientia eorum corpora demulceant, jocos et ludos quibus horas tardiùs properantes otioſè tranſeunt, pulchriores conſortes et lenociniis deditas quibuſcum petulanter ſe gerant. Denique, ut uno complectar omnia, Novis deliriis peccatum mentes hominum ſemper agitat, eoſque aut non videntes, aut apertis oculis cadentes, in foveas quas iis fecerit, præci-

præcipites mittit: Idcirco ab homine pessimè promeretur, conscientiam indies torquet, et discruciat; ita ut pœnæ illæ quas poetæ finxerunt quibusdam fuisse inflictas propter vitæ impudicitiam, crudelitatem, et belluinam prorsus licentiam, si angustiis in quas indies redigitur, ærumnis in quas distrahitur conferentur, morsus essent musceæ, non pœnæ; tam gravia sunt quæ tolerat, nec remedium invenit dum peccatum aspicit. At proh dolor! humanum genus primam originem ei dedit. Totum enim humanum genus fecit Adamus damnationis traducem, omnes in Adam peccaverunt: et sæpenumerò hominem superat, dum hominem sui authorem et artificem esse dicit. Homo est qui sibi foveam, ac peccati domum una struxit. Superbivit, et in seipso concupivit similem esse Deo, sed illinc similem se fecit diabolo: Hinc lachrymæ! Peccati tanta est solertia, ut inter agendum nunquam satigatur: Boni enim evitatio, mali dilectio, et voluntatis humanæ depravatio sunt rotæ, à quibus currus suus circumvehitur; Auriga ejus vanitas est, quæ velociori cursu equos (cupiditates scil.) impellit; Mors et miseria sunt ejus pedissequæ celeberrimè attendentes. Si fastuose et superbe prodire cupit peccatum, parantur vestes nitidæ, novissimo more compositæ, ut majorem admirationem incutiant; hisce exit, nec seipsum minùs admirari solet, quàm qui se spectant. Si crapulæ indulgere quærit, delitiis ilatim affluit, Nil novi est quod non delectat, nil sumptuosum minùs, quod afficit. In publicis consortiis, quibus vanitas maximè arrisit, peccatum semper præsens esse desiderat. Ubi choreæ et theatrales ludi celebrantur, et confertissimi cœtus confluunt, eò recurrit; nec ibi qui mimum agunt, nec qui spectant (peccati fallacia absente) aliquid præstare valent. Peccatum in operibus inventionis semper versatur, et ne authoribus suis fastidium pariat (tanta est ejus fallacia)

ſemper eſt pregnans, aliud ex alio gignens; et ut magis fallat, ſecuriores reddit homines, et ſecuritas ſegniores, ac dum leniori ſomno ſuos ſervulos mulcet, eos ſibi devinctiores reddit: et ſicut umbra corpus, et miles imperatorem, ita peccantes calones peccatum ſequuntur, eique obſequentur, imò pro libertate ejus vindicanda, vitam libentiſſimè amiſſuri ſunt: nec grave eum eſſe laborem ſentiunt, quem ſuſtinent, modò ei inſervient aut minimum obſequium præſtent: tanta etiam ejus eſt fraus, ut calones ejus adeò dementet, ut pro inani laborarent, et ipſum laborem amarent; tanta autem eſt illorum dementia, ut nullus eorum iſta cogitet. Fallaciâ peccati perplures cogitant præſentibus frui optimum: ſatius eſt (uti aiunt) unam aviculam habere in manu, quàm duas in ſylvâ; et incerta ſunt quæ futura ſunt, ac præſentia oculis propoſita magis appetuntur. Hinc delirant homines, hinc voluptates ſunt Syrenes. Heu! quam brevi momento temporis amittenda eſt ſpes ſaluris peccati fallaciâ! et ſi pauci peccatum demiſerint, alios tamen invenit qui ſibi holpitium libenter offerent. Interim quid agat homo, qui mundo hoc tenebroſo degit? quò incedat ni ad te, miſericors Deus, ut peccatum nullâ occaſione illos ſeducat, et occidat? Idcirco ut nunquam indureatur cor meum ſeductione peccati, da mihi quæſo (miſericors Deus) ſpiritum ſapientiæ et revelationis, illuminatis mentis meæ oculis ad ſciendum quot et quæ ſunt peccati fraudes et fallaciæ, ut ab omni inſuſtitiâ abſcedam, et viâ veritatis incedam perpetuò ad laudem tui nominis. Amen.

Medi-

MEDIT. 5.

De irrenatorum statu ac miseria.

HEu! quot miseriæ homini naturali sunt debitæ! Non enim extra carcerem diù morari potest, quia conrahit debita ultra propriam facultatem. Quicunque a Diabolo incarceratur, valdè lacerat ur, extra à Diabolo, intus verò à conscientiâ propriâ, quæ dum habitat in eo, testatur contra eum; cujus testimonium mille accis repellere nequeunt: et post testimonium licet sera, tamen severa et certa tandem venit vindicta. Heu miserum hominem! quid faciat? quò curras? nullum sibi datur subterfugium: si in viscera terræ surrepere, tutiorem ibi recessum non inveniret: si velocior esset Euro, non evaderet —— vindictæ pervius æther. Sequetur et persequetur, nec à cursu suo desistet, donec vestigiò semitas suas exploraverit. Verè non dicere potest, Quis me videt? tenebræ circundant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus; fugiat licet ab agro ad civitatem, à publico ad domum, à domo in cubiculum, conscientiam tamen propriam intùs astantem, imò contra se testantem, reperiet. Homo flagitiosus nullibi tutus est, quia vermem conscientiæ perpetuò patietur, et quod longè superat, omnia gehennæ supplicia, aspectu Dei privabitur, ibi distrahitur, ibi discerpetur, ubi nec qui torquent aliquando fatigantur, nec qui torquetur aliquando moritur: tunc verò speciosa carnis fabrica, tot affluentiis omnium rerum instructa, tot deliciarum plena,

parvi fuerit æstimanda. Quanto magis enim homo irrenatus in hoc seculo gaudet ac suaviter vivit, tanto magis in inferno cruciabitur et ingemiscet. Ah! cum secum cogitat, quo iturus est, in terram tenebrosam & aridam, ardens stagnum, sulphureum lacum, supplicíorum locum, ubi omnis horror habitat, nullus ordo apparet, ubi error & terror ubique implicant; quid agat miser? cum considerat se in hostili regione versatum esse, quomodo irrenatus ingemiscat? Ibi nullus est evadendi locus. Quamdiu enim omnia spiritualia exercitia homini naturali gravia sunt & onerosa, nihil ei propitium, votisque secundum invenit, omnia sibi nubila & tristia, omnia fastidiosa & insipida sunt: Erubescenda videt, nec erubescit; dolenda percipit, nec dolet. Homo naturalis est iræ filius; animalis enim homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei; quod enim sapit caro, mors est & inimicitia adversus Deum: Legi enim Dei non subjicitur, nam nè potest quidem: idcirco qui in carne sunt Deo placere non possunt: & talis sanè fui, sed ablutus, & sanctificatus, & justificatus sum in nomine Domini Jesu, & per Spiritum Dei nostri. Tu etenim (mi Deus) qui in misericordia dives es, propter multam charitatem tuam quâ dilexisti me, quum in offensis mortuus essem, unà vivificâsti cum Christo. Da mihi ut nunquam a te deficiam, sed ut Christi gratiâ per fidem servatus sim, & cum eo in cœlis collocatus sim ad perpetuam tui nominis laudem. Amen.

MEDIT. 6.

De Conſcientiæ Teſtimonio.

DOmine, quò ìrem à Spiritu tuo? Si dicerem utique tenebræ velut crepuſculo obvolvent me; atqui nox lux eſt circa me: ne tenebræ quidem ita obtenebrare poſſunt, quin tu prodeas ac teſtem in me exhibes; nox ut dies illuſtrat, perinde ſunt tenebræ atque lux ipſa: nihil in me eſt quod non verè nôſti; nulla eſt corporis actio aut mentis intentio quam non obſervâſti; ac tum notitiæ & obſervationis tuæ, tum inſcitiæ & debilitatis meæ teſtem verum in me conſtituiſti, nempe conſcientiam. Conſcientia quidem depoſitum quod ſervandum accepit, ſervat vivis, & defunctis reſtituit. Peccatorem maximè lacerat, & quæ habitat in eo, teſtabitur contra eum, & ſecum ibit unam pœnam mutuò pati. Pro homine aut contra hominem teſtimonium ſuum profert; mille acies eum repellere nequeunt; et licèt ſera, tamen ſeria & certa venit vindicta; at heu miſerum! quid faciat? quò currat? nullum ſibi datur ſubterfugium. Si in viſcera terræ ſurreperet, tutiorem ibi receſſum non inveniret, conſcientiæ ſuæ teſtimonium exaudiet. Nihil prodeſt nocentibus habuiſſe latendi facultatem, cum latendi fiduciam non habent. Si quiſquis conſcientiam ſibi placatam haberet, ne eam offendat. Quicquid contra eam facit aliquis, ad gehennam ſpectat. Cogitet talis unde venit, et erubeſcat; ubi eſt, & ingemiſcat; quò iturus eſt, et contremiſcat: Cognoſcat homo majus eſſe damnum in amiſſione unius animæ quàm mille corporum: corpora etenim ſi

occiderentur, denuò resurgent; at anima, si periret, nunquam revivescet. Erubescat homo inertiam & ineptiam suam, in præponendo medullæ corticem, nucleo nauci, & animæ carnem, divitiisque sempiternis crepundia aurata: Ingemiscat homo, dum se in hostili regione versatum esse considerat; ubi domestici sui proditores sunt pessimi, ubi mors est oilâ, & hostis in orâ; & si Deum in patrem indulgentem non habeat, in Judicem ulciscentem certissimè habebit. Nihil est quod conscientiam tantopere gravat ut peccatum, cujus onere dum premitur, nullâ prorsus pace ac quiete fruitur. Præterea, omnis homo ex conscientiæ, non scientiæ libro, aliquando coram Dei throno judicabitur: Grande quidem volumen est conscientia, cui omnia stylo veritatis sunt inscripta. Conscientiæ testimonium est adeo apparens, ut impium discruciat, de somno suo eum suscitat per stimulationes ejus: Deus enim ordinat conscientiam homini, inscium esse aut ad consolandum, aut cruciandum eum; ideóque homo nullus est tutus, etsi visibilem contra se non invenit testem. Quando corpus sine umbra, tunc scilicet invenienda est anima sine testante conscientiâ; cujus testimonium est adeò forte & irreprehensibile, ut nemo ei obsistere poterit; adeò verax et apparens, ut nemo ei contradicere poterit. Conscientia omnes mutuò aut defendit aut accusat: ubi conscientia aliquem defendit, gaudium & gloriationem multam efficit: ubi verò accusat, ibi dolorem ineffabilem producit. Nunquam otiosè se gerit; si dormire aliquando appareat, expergefacta tandem omnia adamussim recordabitur. Da mihi quæso (bone Deus) ut conscientiam inculpatam ac bonam retineam, ut coram te in justorum judicio sistam ac appaream; & ut gloriatio mea hæc sit, nempe testimonium conscien-

ſcientiæ meæ, ut ſimplicitate & ſinceritate Dei verſatus ſim in hoc mundo, ac denique ut ad regnum tuum cœleſte accedam, per Salvatorem meum Jeſum Chriſtum. Amen.

MEDIT. 7.

De Paſſione Domini.

QUid dicam, Domine? Laudes ineffabiles tuas explicare nequeo, mirandúmque amorem tuum concipere nequeo; ſi Angelorum ac hominum linguas habuiſſem, charitatem Dei tranſcendentalem exprimere non potuiſſem. Verè dicam admiratione altâ cum beato Apoſtolo, Quis eſt qui condemnat? Chriſtus eſt is qui mortuus eſt, imò verò qui ſuſcitatus eſt; qui etiam eſt ad dextram Dei; qui etiam interpellat pro nobis. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Num afflictio, num anguſtia, num perſecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? Imò in his omnibus ampliùs quàm victores ſumus per eum qui dilexit nos. Nam mihi perſuaſum eſt, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præſentia, neque futura, neque ſublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam conditam eſſe poſſe nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. O profundas divitias charitatis Dei! eò quod quum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt; imò pro nobis impiis; quum verò vix pro juſto quiſquam moriatur. Tu enim (bone Deus)

pro mundi redemptione voluisti nasci, circumcidi, a Judæis reprobari, à *Juda* traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus *Annæ*, *Caiphæ*, *Pilati* & *Herodis* indecenter offerri, falsis testibus accusari, flagellis & opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lanceâ vulnerari : Ah! quot graves pœnas ardenti amore & ineffabili charitate passus es in cruce pro salute mea, è cujus vulneribus emanavit ille pretiosus sanguis quo ego & omnes fideles redempti sumus. Tu (bone Jesu) in cruce pendens, coronam spineam in capite portabas ; ac in cruce vulneratus, fel & acetum potabas. Tu (Domine) descendebas ad infectos, ut perfectam efficeres nostram liberationem ; omnis tua membra passa fuêre, ut ego nunquam patiar. Caput tuum pro me & omnibus fidelibus spinis coronatum, & arundine percussum ; facies tua sputis & alaphis cæsa ; tui oculi lachrymis perfusi ; mellifluum tuum os & guttur felle & aceto potatum ; aures tuæ contumeliis & opprobriis affectæ, collum tuum humile pro tuis colaphizatum fuit, dorsumque tuum flagellatum, manus & brachia tua in cruce extensa fuêre, pectus etiam tuum mitissimum in passione tua fuit conturbatum ; latus tuum lanceâ militis perforatum ; tua genua quoque in orationibus flexa fuêre, pedes tui adorandi pro nobis clavis affixi, corpus totum tuum (Domine Jesu Salvator meus) in cruce suspensum, vulneratum, mortuum & sepultum fuit ; sanguis tuus pretiosissimus è corpore tuo pro omnibus fidelibus effusus erat. Tu non peccabas, nec inventus erat dolus in ore tuo. Tu convitiis affectus, non vicissim convitiabaris ;

ris; quum malis afficereris, non minabaris, sed committebas tuam causam ei qui justè judicat. Tu peccata mea sursum tulisti in corpore tuo super lignum illud, ut peccatis mortuis justitiæ viverem, cujus vibicibus & verberibus sanatus sum. Oh quantas gratias tibi referam, Domine? qui solus dignus es laudari: nam tu Jesu es magnus Jehova, & laudandus valdè, & reverendus supra omnes deos: decor & majestas enim coram te est, robur & gaudium in loco tuo; quia apud te est benignitas, & plurimum tecum est redemptionis. Tu (Domine) redimis Israelem ab omnibus iniquitatibus ejus; mortuósque in offensis & præputio carnis tecum vivificas, condonatis omnibus offensis. Ac deleto quod adversum eos erat rituum chirographo, quod erat illis subcontrarium, cruci verò affixum è medio tu sustulisti, & expoliata imperia ac potestates traduxisti palam triumphatis illis. Tu (bone Jesu mi suavis Redemptor) es pax mea, qui corpore tuo me Deo reconciliâsti per crucem (peremptis inimicitiis) tu evangelizâsti pacem omnibus, tùm qui longè, tùm qui propè erant. In te habeo redemptionem per sanguinè tuum, remissionem (nempe) lapsuum ex divite tua gratia, quæ exundavit in omnes credentes omni sapientiâ & prudentiâ. Dulcissime Jesu, quid fecisti ut sic judicareris? quid commisisti (amantissime Redemptor) ut adeò malè tractareris? quod scelus tuum? quæ noxa tua? quæ causa mortis tuæ? quæ occasio damnationis tuæ? O admirabilis censuræ conditio! ô ineffabilis minister ii depositio! Peccat iniquus, & punitur justus; delinquit reus, vapulatur innocens; offendit impius, damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus; quod perpetrat servus, exolvit Dominus; quod committit homo, sustinet Deus. Vultum tuum honorabilem in quem desiderant Angeli perspicere, qui omnes cœlos adimplet

lætitiâ,

luticiâ, sputis inquinaverunt; sacrilegis manibus operuerunt in derisionem; et te Dominum universæ creaturæ tanquam servum contemptibilem colaphizaverunt. Te vinctum quidem ante faciem *Pilati* præsidis perduxerunt: postulantes te supplicio crucis interimi qui peccatum non noveras; & virum homicidam sibi donari: agno lupum, auro lutum præponentes. O indignum & infœlix consilium! Et quidem non ignorabat impius ille per invidiam hoc in te fieri; tamen non abstinuit temerarias in te manus mittere; sed replevit animam tuam sine causa amaritudine. O misericordia divina! ut Dominus mundi acciperet formam servi; ut panis esuriret, fons vivus sitiret, lux obscuraretur, virtus infirmaretur, vita moraretur, redemptor venderetur; ut homo vivificaretur. Quis illo flente non fleret? quis eo dolente non doleret, vel gemeret? quando pro geminato diademate, Rex crucem gestabat in capite. Tua quidem passio (Domine Jesu) est viventium remedium, singulare refugium. Ideò cum defecerit virtus mea, non conturbabor neque diffidam; scio quid faciam: calicem salutarem accipiam, & nomen Domini invocabo, ubi tutum est remedium. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Redemptoris nostri: magna multitudo dulcedinis gratiæ plenitudo & perfectio ejus virtutum. Cum me pulsat turpis cogitatio, da mihi potentiam recurrere ad Christi vulnera, ut fugetur à me. Cum me premit caro mea, ex recordatione vulnerum Domini resurgam. Cum mihi parat insidias Diabolus, fugiam ad vulnera tua (ô Deus) & recedet à me. In omnibus necessitatibus non invenire potest tam efficax remedium quàm vulnera Christi. Cum de tui memoria mens mea suspirat, & tuam ineffabilem meditatur charitatem, ipsa carnis sarcina

minus

minùs gravat, cogitationum tumultus cessat, pondus mortalitatis ac miseriæ more solito non oblectat: silent cuncta, tranquilla sunt omnia, cor ardet, animus gaudet, memoria viget, intellectus lucet, & totus spiritus desiderio visionis tuæ accensus invisibilium capitur amore. Verè sanè verbis *Ambrosii* dicam: *Christus omnibus omnia factus est; pauper pauperibus, dives divitibus, flens flentibus, sitiens sitientibus, profluus abundantibus, in carcere cum captivis, cum Maria flet, cum Apostolis ejulatur, cum Samaritana sitit, in deserto esurit, ut cibus primi hominis quem prævaricatione gustaverit, jejunio Domini solveretur.*

Tu (Domine) es Agnus sine macula oves tuas redimens, non auro neque argento, seu aliquo alio corruptibili; sed tuum sanguinem immaculatum tuis dedisti in pretium, & occidens lupum, fecisti nos Deo nostro agnum. Admiratione dicam cum *Augustino*, *Ecce, agnus utique agnus Dei singulariter sine macula, solus sine peccato: ergo singulariter hic est agnus Dei, quia singulariter hujus agni sanguine solo homines redimi potuerunt: Venit agnus, qualis agnus lupi timens, qui leonem occisus occidit: sanguine agni victus est leo. Ecce spectaculum magnum est Christianorum, spectare per totum terrarum orbem sanguine agni victum esse leonem, eductaque de dentibus leonum membra Christi, & adjuncta corpori Christi. Domine, dilexisti me plus quàm te, quia mori voluisti propter me: tanto pretio reduxisti me, de servitio retraxisti me, de supplicio vocâsti me nomine tuo, signâsti me sanguine tuo; ut memoriale tuum semper esset apud me, & nunquam recederet à corde, qui propter me noluit recedere à cruce.* Passio tua est medicina optima ad sanandum peccati languorem; disciplina pacis nostræ super

per

per te fuit, & livore tuo ſanati ſumus. Tu Domine Jeſu, es innocens *Joſeph* qui poſitus eras in carcerem, in cujus ore dolus non eſt inventus, in cujus animam ferrum pertranſiit; tu enim affixus eras cruci, & latere perforatus, ac es redemptio & pretium pro nobis: Tu es Salvator, unigenitus Dei Filius: verus Deus, verus homo, qui ſolus ſub Sole inventus es. Tu vulneratus es propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra; factus holocauſtum ſuaviſſimi odoris in conſpectu Patris æternæ gloriæ, ut averteres indignationem ab omnibus tuis, & conſedere eos faceres ſecum in cœleſtibus. Tu (Domine) es Agnus mactatus jam inde à jacto mundi fundamento; qui vivis, ſed fuiſti mortuus, & ecce vivis in ſecula ſeculorum, Amen; & habes claves inferorum & mortis. Tu es Leo ille ex tribu *Juda*, ſtirps illa *Davidis*; Tu (Domine) aperis, & nullus eſt qui claudat; tu claudis, & nullus aperire queat. De te Angeli multi magnâ voce clamant, Dignus eſt Agnus ille mactatus, qui accipiat poteſtatem, & divitias, & ſapientiam, & vires, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Omnes creaturæ in cœlo quæ ſunt conditæ, & in terra, & ſub terra, & in mari, & quæ in eis ſunt omnia, te laudant, dicentes ei qui inſidet throno, & Agno; Sit benedictio, & honor, & gloria, & robur in ſecula ſeculorum. Te laudant omnes Angeli omnéſque exercitus ejus: Te (Domine) laudant Sol & Luna, omnéſque Stellæ lucidæ; te laudant cœli cœlorum, omnia terreſtria, cete & abiſſi, ignis, grando, nix, & exhalatio, montes, colles, arbores fructiferæ te laudant: omnes beſtiæ, omnia reptilia te laudant. Tu (mi Deus) digniſſimus es laudari ab anima mea perpetuò. Da quæſo, ut nunquam deficiat anima mea te laudare, te amare, tibi obedire;

ac per virtutem paſſionis tuæ ſanctiſſimæ remitte mea omnia præterita delicta, & per mortem tuam libera me à pœnis inferni; liberáque me à Diaboli tentationibus, & confige cor meum jaculo tui amoris, ut tibi dicat anima mea, Charitate tuâ vulnerata ſum, ita ut ex ipſo vulnere amoris tui uberrimæ fluant lachrymæ die ac nocte. Denique, me in ſervitio tuo uſque in finem conſerva & corrobora, ut te cum choro cœleſti Angelorum & Sanctorum pro ineffabili tuo amore erga me in paſſione tua manifeſtato, inceſſabili voce laudarem. Amen.

MEDIT. 8.

De Mortis Neceſſitate, & Brevitate Vitæ.

STatuta tua neceſſaria, Domine, & ſtatutum eſt omnibus ſemel mori, hoc decretum inevitabile ſtabilitur perpetuò; Mors quidem audaci & imperioſo more pulſat, ingredieturque certè lares humanas; et in Aula, & in caula partem vendicat: Ac ut Hermaphrodirus utriuſque ſexus reverà capax eſt; intactáque carnem tanget & tollet, nemo eam evader, immota manet, dum caro premitur, illæſa refulgit, dum caro perimitur. Mors nec moribus, nec ſapientiæ, nec ætati parcit: nihil terribilius morte, aut crudelius naturæ: illa enim ad aſpiciendos homines cæca, ad audiendas preces ſurda, ad omnes mortales citra ullius exceptionem perimendos, immiſericors & atrox; neque bonorum neque malorum habens ratio-

rationem aliquam. Heroïnas pulchras, propter corporum venustates; claras propter honorum dignitates, charas propter morum suavitates, inter nudos suos nervos rigidóque amplexus tenet; ac in vili turbâ, exili testâ computrescit. Mortem nihil movet; non leniores digiti, gemmatis licèt annulis decorati, nitescant; non tenuiores capilli, lanæ licèt instar caprinæ, candescant; non tempora, primis licèt floribus, preciosis odoribus tincta, liquescant; non brachia candidiora, licèt hederâ albâ splendescant; non pedes petulanti, licèt more publicis choreis assuescant; denique nec corpus, nec ulla pars externæ corticis mortem allicere poterint. Nulla elegantia eam movet; Mors enim (ut delineatur) est cadaver hominis, solis ossibus constans nervisque compactum, dumtaxat auribus, oculis & naribus carens, nudum & aspectu deforme, nullius sexus, falcem acutissimam manu vibrans; quod artificium Pictorum quidem ut insigne, sic & mysteriis gravidum: Oculis caret, quia nullius omnino personæ, cujuscunque illa potentiæ aut opulentiæ sit, respectum habet. Auribus caret, quia ad furoris sui mitigationem nullas solet supplicationes admittere. Naribus caret, quia suum non est suavia odoramenta tuerare: Nuda apparet, quia substantiam terrenam, divitias aut munera non spectat. Caret pelle, carne, & sanguine, quia nullius speciosæ venustatis decor, aut vanitatis & asteriationis fulgor eam poterint allicere. Caret sexu, quia ei structum est nullum, sive masculini sive fœminini sexus fuerit, respicere. Ita inexorabilis est, ut nemini prorsus parcat: Homines ex hac terra, sicut melior frumentum in agris, & gramina in hortis demetit: Nobiles æquè ac ignobiles abripiet: Ante mortem cadunt Reges, sicut ante falcem seges. Juvenem primas adolescentiæ

meras

metas ingredientem, æquè ut senem moribus pravum, morbisque confectum, viribusque exhaustum, abripit. Ætas juvenilis, & senectus curva unum repetunt fatum: Idcirco verè dicam (Domine) in medio vitæ morte sumus. Mors omnibus ad tempus occurrit, senibus ante oculos (ac in januis quasi) versatur; juvenibus verò post tergum insidiatur. Præterea ut mors omnibus evenit, ita homini in omni conditione. Mors infantiæ est pueritia, mors pueritiæ est adolescentia, mors adolescentiæ est juventus, mors juventutis est virilitas, mors virilitatis est senectus, mors senectutis est decrepitas, mors decrepitatis est ipsa mors suprema omnium meta. Certè patet, nullam esse latebram in quam non intret mors. Caduceator enim tuus est (ô Jehovah) eventus inevitabilis, & omnium resolutio mors. Quamplurima sibi incumbunt negotia? imposita sibi sunt mandata à te, Deus, quæ omni obsequio præstanda sunt. Mors homines confringit, ac suo ictu eos in favillam reducit; nec est qui valeat suo furore resistere; ejus impetus adeò incertus, & in modo, & in loco, & in tempore, ut humana providentia illi minimè sufficiat providere. Verè dicam verbis *Agustini*: *Opportuna mors mille modis homines quotidie rapit: hunc namque febribus, illum oppressit doloribus; hunc consumit fames, illum sitis extinguit; hunc mors suffocat aquis, & illum petit flammis; hunc interimis gladio aut laqueo, illum dentibus bestiarum; hunc trucidat ferro, illum venena corrumpit: Et sic mors tot modis humanam vitam misera finire compellit; & nunc super hæc omnia, magna est miseria, quia cum nihil sit morte certius, nihil tamen horâ mortis incertius.* Mors telis armatur acutissimis, ut feriat ad dextram & ad sinistram; & juvenes & senes, divites ac pauperes suis ictibus conterat.

terat. Mors undique versum conterit; in oriente ferit, scilicet in ætate puerili: & percutit in Australi, nempe in juventute humida & calida: percutit ad aquilonem frigidum & siccum, nempe in senectute; & ad occidentem percutit, quando aliquos usque ad decrepitam expectat ætatem. Numerus annorum incertus est omnibus: si incertitudinem vitæ præsentis conspicerent homines, incerta pro certis nunquam tenerent. Tu (Domine Deus) in hac vita nobis metendi tempus concedis, ut ad maturam messem devenientes reponamur in horreis tuis, (scilicet vitâ æternâ) et non tradamur cum paleis ad comburendum, cùm de campo vitæ præsentis cum falce mortis prosternimur: & quamvis in agro humanæ vitæ unus sit altior & excellentior altero divitiarum magnitudine, & nobilitate; tamen (morte illos metente, & in manipulos reducente) si quis aspiciat, omnes æquales invenlet. Nulla quidem differentia invenitur inter ignobilium & nobilium ossa. Mors itaque certa & necessaria est, omnes homines ad judicium pertrahit: & tamen quamplurimi rebus transitoriis solliciti & occupati, nil aliud cogitant nisi in hoc mundo qualiter adhuc vivant, relinquendo omnia quæ postidenda disponunt; quia spes vivendi non frangitur, etiam cum ipsa vita terminatur. Ad judicium quidem trahuntur per sententiam, & tamen habendis rebus adhærent per curam. Duræ menti adesse mors non creditur, etiam cum sentitur. Da mihi quæso (misericors Deus) meminisse mortis meæ; et sic formetur animus meus, tanquam si ad extrema venerim; et ut aperte intueat quæ sunt fugienda, & quæ sequenda, ac ut mundi transitoria nunquam obcæcent oculos mentis meæ. Concede mihi ut perpetuò me moriturum cogitem, adeo ut contemnam præsentia, & ad futura festinem. Dies hominis in oculis

lis tuis (Domine) ſunt ut dies heſterni, vigiliæque nocturna. Inundatione abripis eos, ſomnum ſunt; ipſo mane ſunt ut fœnum tranſiens; ipſo mane, quo efloruit tranſiens, ipſo veſpere exciſus atque exareſcens. Numerare dies meos ita doce me, ut animam inducam ſapientem: dies mei quidem ſunt ſimiles umbræ inclinatæ, & ſicut herba exareſco. Caro hominis induit vermes, cutis ejus diſrumpit ſe & liquefit, dies ejus velociores fuerunt textoris radio. Ut conſumitur nubes & abiit, ita qui deſcendit in ſepulchrum non aſcenſurum amplius, nec reverſurum amplius domum ſuam; neque agniturum eum amplius locum ipſius. Homo equidem natus muliere, brevis ætate, & ſatur commotione: Et cum ſolo verè dicam, Ut flos ſimulac egreſſus eſt ſuccidítur, & fugit velut umbra, neque conſiſtit; præciſi ſunt dies ejus, numerus menſium ejus penes te eſt, determinationes ejus feciſti, quas non tranſgrediatur. Eſt de arbore ſpes ſi excindatur, adhuc repullulaturum, & tenerum ramum ejus non deſtiturum. Quum valdè ſenuerit in terra radix ejus, & in pulvere jam moriturus eſt pes ſjus ſucciſæ, ex odore aquarum regerminat, & agit ramum velut planta: Ac vir moritur debilitate fractus; quumque expiravit homo, ubinam eſt? Abeuntibus aquis è lacu, & flumen exiccatum exareſcit: Ita vir cum occubuit, non reſurgit uſquedum non erunt cœli: non excitabuntur viri, neque expergiſcentur à ſomno ſuo. Da mihi igitur (mi Deus) omnibus diebus præfiniti temporis ſperare, donec rediret immutatio mei; ut gaudens cum beato Apoſtolo, dicam, O mors, ubi tua victoria? ô ſepulchrum, ubi tuus aculeus? quæſo ut perpetuò in omnibus vigilem, opus tuum peragens,

plenissimque fidem meam faciens, certamen illud præclarum decertans, cursum peragens, fidemque servans, adeo ut mihi reddas justitiæ coronam in die illustris cui adventus. Amen.

MEDIT. 9.

De Renatorum statu.

QUi renovantur, & per lavacrum regenerationis sanctificantur ex tua misericordia (bone Deus) mortui sunt peccatis; voluptates nec spectant, nec curant, non illicitè concupiscunt, sed pravas affectiones & cupiditates repellunt & explere nolunt. Cum mundi observantiam inspiciunt, qui diabolo clientulus est observantissimus, quâ curâ, & quo studio imperii sui fines augere quærit, plane irridunt. Vesanis vitiorum eos non adeò tangit, sitire absynthium hujus mundi, sequi naufragium vitæ labentis, pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium: Diabolus eos terrere nequit, non timent diabolum, quia habent dominium sortiorem. Ne capillos eorū tangere potest diabolus sine tua permissione. His irrita sunt ejus insidiæ inanésque conatus, Satanæ illecebræ illis non dominantur. Illi mollitiem carnis non refocillant, quæ voluptuoso lenocinio, avaro præviæ lucri, superbo elatiora vota, invido macrescentia mala, irato ardentia ilia, crapuloso lasciviantia edulia, ignavo inertia somnia suggere solet: sed carnis indulgentiam comprimunt, asperitatem erga carnem exercent, quæ ei maximè molesta sunt, amplectuntur & diligunt; quæ carni sunt placentia aspernantur & rejiciunt. Mortem non metuunt, quamvis sub specie larvali la-

res

res omnes obsidet, & intempestivè nimis (ut multi opinantur) illorum quietem perturbat, tamen renatorum animis nullum horrorem incutere potest. Aufugiunt peccatum ac occasionem ejus ductu Christi; & cum Christus per suam gratiam illos peccato educit, ipsum sequuntur, societatemque ejus nequaquam relinquunt. Benè animadvertunt, quod respiciens retrò non est aptus regno Dei; Uxor *Loth* respiciens dum retrò se voluit, versa fuit in salis statuam. Qui verè respiscunt, peccatum ut diaboli gladium fugiunt. Culpam cogitant esse graviorem post veniam; vulnus post curã molestius est, sic etiam hominem sordari post gratiam; quia indulgentiæ divinæ ingratus est qui post veniam peccat. Sanitatis indignus est, qui semetipsum postquam sanatus est, vulnerat; nec mundari meretur qui post gratiam sordidat semetipsum; et qui sanctificantur cum *Augustino*, cogitant, *Nullum scelus tam abominabile esse, quam præterita peccata antehac dimissa, reminiscendo gustare, & inde exultare.* Cum animadvertunt, quantus illis est Dei amor, quot amatorijs titulis illos compellat, amor tuus eos emollit. Verè noscunt te illos intimè amasse, cum non peperciſti Filio tuo, ut eos ab inferno liberares, idcirco degere conantur ad perpetuam tui nominis laudem. Da mihi quæso, (bone Deus) ut continuò oblectatio mea sit in lege tua, ut de lege illa meditarer interdiu ac noctu, & ut fructum meum edam tempore meo, Salvatoris mei Jesu Christi gratiã. Amen.

MEDIT. 10.

De Resurrectione Christi.

TU (Domine) non solum mortuus & sepultus eras; sed etiam tertio die suscitatus ex mortuis, & jam primitiæ eorum qui obdormierunt, factus es. Quia per hominem mors, per te quoque resurrectio mortuorum. Quanquam crucifixus eras, tamen nec animus tuus confusionem aliquam patiebatur, nec caro tua corruptionis injuriam sustinebat: nam Diabolo victo, æternorum claustra dirupta sunt, & captivi liberati sunt. Nox sicut dies per tuam resurrectionem illuminatur: nam tu (Christus Dei Filius) es dies lucis, & sol æternæ claritatis, magnus sine quantitate, bonus sine qualitate; tuæ amaritudinis plenitudo tanta est propter peccatum humanum, ut non poteras eam gustare sine morte; tamen dolor tuus, & summa tua amaritudo conversa est in mellifluam dulcedinem: planctus tuus conversus est & in gaudium tuum & tuorum. Tu (Domine) omnes tuos de Ægypto Inferni, percusso diabolo educis & perducis ad æternæ gloriæ promissionem; per resurrectionem tuam diabolum in planctum perpetuum constituisti, & iniquitatem percussisti, & omnem injustitiam damnâsti. Tu tuos de servitute eripis ad libertatem, de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, à tyrannide ad regnum sempiternum. Da mihi (quæso) ut vim resurrectionis tuæ cognoscam, ut conformis sim tuæ morti & superna quæram, ubi Christus jam sedet ad dextram Dei: & ex multa tua misericordia concede, ut spem vivam retineam per resurrectionem Jesu Christi ex mortis, ad hæreditatem, quæ nec corrumpi, nec contaminari, nec marces-

marceſcere poſſit, in cœlis mihi & omnibus tuis ſervatam. Amen.

MEDIT. II.

De Amore Dei.

O Divitias ampliſſimas! Deus diligit illos qui eum non dilexêre, ſed odio perſecuti ſunt; illos vocat & plurimis amatoriis titulis compellat, dicens, *Surge, & propera amica mea, ſpecioſa mea, & veni: Ipſe te voco, qui & Creator & amator ſum tuus, qui creando infudit, & infundendo creavit te: Ipſe te invito, qui Filium & unicum dedi, ne tu perires quam feci: per amorem vicem mihi redde, recognoſce beneficia mea, & redde gratias ut plura accipias. Tuipſum mihi offer, & ut fructus proferas, manui meæ liberè ſubmitte; tibi dedi quod es cum nihil eras. Meipſum tibi dedi cum nihilo pejor eras, & meipſum tibi ſervavi quo beata eris: te præpoſui aliis, ut mihi præ aliis inſervias. Superiora tibi ad ſolatium, æqualia ad conſortium, inferiora ad ſerviendum dedi. Obſerva cunctè miſericordiam Dei diligentis, meritum Chriſti patientis, gratiam Spiritus ſancti per Evangelium vocantis. Miſericordia mea te dilexit quando te creavit & à cæteris creaturis diſcrevit: Meritum Chriſti mei te promeruit, cum miſeria tua cum ad terras traxit, ubi motus miſericordiæ tot indignæ pro te tulit: Gratia Spiritus mei ſancti te vocavit quando docuit; te liberavit quando de tot periculis terræ & maris, animæ & corpori imminentibus eripuit. Inſignita es (O Sponſa Dei) imagine Dei, redempta es (O ſancta anima) ſanguine Chriſti, deſponſata fide dotata*

spiritu, ornata virtutibus, deputata cum Angelis: Ac si quisquam quaeret à te, Cujus est hæc imago & inscriptio? *Verè respondeas, Supremi* Cæsaris. Quomodo obscurata? *Ærugine peccati.* Quomodo restaurata? *Sanguine Christi.* Quomodo desponsata? *Annulo fidei.* Quomodo dotata? *Radio Spiritus sancti.* Quomodo ornata? *Virtutum flosculis.* Quibuscum deputata? *Cum Angelorum choro. O beata conditio, in terris ne sit tua consolatio! Quis enim ni proditor, imaginem tuam regalem delere audet? Cæsaris est. Quis animam tanto redemptam pretio, venalem peccato exhibere feret? pretium sanguinis Christi est. Quis tam amabilem Sponsam cœlesti Regni desponsatam violare quaeret? Sponsa mea est. Quis internam eam lucem sibi cœlitus exhibitam offuscare cupiat? lux Spiritus sancti est. Quis amœniores eos virtutum flores, pretiosos vitæ odores inquinare volet? ornatus animæ sunt. Quis beatiores eos socios, quorum societas promissa est sanctis repudiare valet? Cohortes angelicæ sunt. Præterea, O mea amica, hæc tibi addam, tu angelica eris posthac in cœlis, si sancta in terris. Semper igitur ambula, semper profice, noli in via Dei deficere, noli retroire. In viis meis stare, est retrogradi; nullum sanè medium reperitur, vel oportet te proficere vel deficere. In quo progressu, optimum est ita proficere, ut cum humilitate proficias, profectusque tuos non agnoscas, ne superbiâ extollaris. Quicquid agitur perditur, si per humilitatem non custoditur: Nam qui cæteras virtutes sine humilitate colligit, quasi pulverem in ventum portat. Ista virtus est regina aliarum, mors vitiorum, & sanctæ Trinitatis hospitium: non egena potest esse anima, cui semel illuxit humilitas vera: gratia mea quæ tibi sufficiet, balsamum purissimum est, & ideo purum & solidum vas requirit. Emundetur tui cordis vasculum, & infundatur gratiæ meæ balsamum:*

et eo indies fortior evades, quo te fragiliorem sentis: Christus auctor ille pietatis in cruce pendens, testamentum condidit singulis singula distribuens; Apostolis persecutionem, Judæis corpus, Patri spiritum, latroni paradisum, Virgini paranymphum, peccatori infernum, Christianis pœnitentibus hoc in mundo crucem. Animadverte dignitatem tuam; sublime est animæ pretium, quia non nisi sanguine Christi redimi potuit: custodia igitur tuæ omnem diligentiam adhibe, ni pretiosa animæ dignitas prosterneretur; Cadit Asina, & est qui sublevat, sed perit anima et non est qui recogitat; mortem corporis omnis homo timet, at animæ mortem pauci: nil pretiosius tempore, & heu! nil hodie eo vilius invenitur: transeunt dies salutis & nemo cogitat, quamvis de hoc momento pendet æternitas. Mundo quidem morieris, si mecum vives; & mori mundo est mundum relinquere, non relinqui à mundo: si pœnitentiam ages cum peccare amplius non potes, & relinques mundum cum ulterius frui non vales; peccata te demiserunt, non tu illa; mundana te reliquerunt, non tu ea. Non cavere periculum est dum posses, potius est me tentare quam in me sperare. Sperando sanè timebis, timendo cavebis, cavendo tuta eris: feres tentationes, & accipies consolationes: non est victoria ubi non est difficilis pugna: Relinque igitur te, et invenies me: Christiani præludium est sui repudium.

Tuus (ô benignissime Domine Deus) esse nequit, qui voluntatem suam tuæ præposuit. Optimè secum est qui æstimat crucem Christi coronam christiani. Qui pergit in amore tuo (amantissime Pater) proficiet in timore tuo, domui suæ præcipiet, omnia prudenter disponet, in te dulciter requiescet. Qui te amat, timere nequit; nam pavet anima quæ non amat: Amor enim tuus foris mittit timorem, minuit dolorem, parit honorem, & consortem facit sanctorum.

Quicunque hoc amore pergit, et pio hoc proposito perſiſtit, aliorum exemplo vivet paulisper in terris, et perenni vitâ fruetur in cœlis. Amor tuus (mi Deus) eſt ſpontaneus, ac liber & immunis, tu ſelegis tuos, ut ſint tibi populus peculiaris præ omnibus populis qui ſunt ſub univerſo cœlo: & amorem tuum propendis, non eò quod majores ſunt tui aliis hominibus, ſed quia minores ſunt in mundi conſpectu cæteris hominibus; ut agnoſcant te eſſe miſericordem: multæ aquæ quidem hunc amorem tuum extinguere non poſſunt, nec flumina quidem inundarent eum: tu quoque dilectione perpetuâ diligis tuos, funiculis humanis trahis eos, denſis funibus amoris; & benevolentiâ altâ eos amas. Tu tutum præfecifti amorem omnibus tuis amicis, eò quod animam tuam pro illis deponebas, quum adhuc eſſent peccatores: & tu prior nos dilexiſti, imo (dulcis Deus) tu es amor ipſe eſſentialis: nam Deus eſt charitas, adeò ut qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus in eo. Concede mihi quæſo, te perpetuò amare toto corde, ac omnibus animæ meæ potentiis, ac ut in charitate Dei conſervarer, expectans miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in vitam æternam. Amen.

Medit. 12.

De Sanctorum Gratitudine.

Quantas tibi gratias referam (mi Domine Deus) pro innumeris tuis beneficiis? ſatis amplas retributre nequeo: attamen exaltabo te, Deus mi Rex, & benedicam nomini tuo in ſeculum & ſempiternum. Quotidiè benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſeculum & ſempiternum: Novi etenim te intimè me amâſſe, cum non pepercifti Filio tuo ut me liberares

ab

ab inferno. Quis tam durus est quem non emolliat amor Dei? Quid habeo quod non accepi? Ascendat itaque tibi Eucharistica mea oratio (Domine) & ampliùs descendat gratia tua. Tuum sit totum id quod vivo, & tota totam me tibi offero; dignare, quæso, in agro tuo corde meo bonum semen serere, et manu charitatis tuæ spinas vitiorum meorum priùs evellere. Tu te mihi dabas, ô mysterium immensum! ô beneficium latè extensum! ô si in lachrymas resoluta esset anima mea, adeò ut tua amplissima beneficia dignius agnoscam: in plurimis meipsam invenio deficientem, in nullis sufficientem; ne superbiat usquam cor meum, Da mihi te in omni loco, sine loco, ubique præsentem sine situ & motu semper agnoscere; & καρδιογνώστην esse, ἔκδικον ὄμμα esse, & omnia cernentem; adeò ut si in penetralibus terræ me absconderem, latebras exploraret meas lumen perspicacissimum: & si in solitudine ædificarem, nullum tibi præclusum esset latibulum: Tu (Domine) qui judicatus eras iniquè & injustè, judicabis totum orbem justè & in æquitate. O quam fœlices sunt, qui accedant, & in conspectu Dei appareant, & tecum habitent. Beata sane est ista anima, quæ tantis hospitis potest esse hospita. Omnis salus humana in tua morte posita est; & proh dolor! multa sunt in mundo quibus adhærendo me immundum faciunt: sed dignare (Domine) me omnia relinquere, omnia perferre, ut te possideam qui mihi es omnia. Verè te non amat, qui tecum aliquid amat quod propter te non amat: me totum renuncio (Domine) in me ipso nihil habeo; tuus sum totus, & semper ero. Inter brachia Salvatoris mei, & vivere volo, & mori cupio; mori autem non potest, inter brachia ejus dum dormit. Scribe (mi dulcis Deus) digito tuo in pectore meo, melliflui tui nominis dulcem memoriam, nullâ unquam

oblivione

oblivione delendam. Scribe in tabulis cordis mei voluntatem tuam, nullâ unquam mutatione violandam. Veni (Domine) perfice quod cœpisti; in me adveniat regnum tuum, ut à me fiat voluntas tua per Dominum Jesum Christum. Amen.

Medit. 13.

De Sanctorum solatio in Civitate Dei.

Quæ sunt ista quæ video, ô charissima sponsa Christi, tu sancta civitas Dei? Quæ cantica, quæ organa quæ audio? Quæ cantilenæ, quæ melodiæ quas ipsa profero? Quæ mella, quæ manna gustui delectabilia sapio? Quæ gaudia sentio? quæ præmia possideo? quam gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei? Et meritò quidem dicta sunt de te; quia lætantium omnium habitatio est in te. Jam difficilius est dicere quid non est, quàm quid est, licèt omnium linguarum transeat facundiam, dicere quid est. Nunc expertum habeo (mi Deus) meliorem esse diem unum in domo Domini super millia. Verè invenio diem unum diem sempiternum, cui non cedit hesternus, quem non urget crastinus: Ubi non est aliquid quod non veniendo nondum sit, & veniendo jam non sit. Tanta est jucunditas lucis æternæ, ut si etiam non liceret ampliùs in ea manere, quàm unius diei hora, propter hoc solum innumerabiles anni transactæ vitæ, pleni deliciis, & etiam cum affluentia bonorum temporalium rectò meritóque contemnerentur. Mille enim anni ante oculos tuos tanquam dies hesternus qui præteriit.

Cum *Augustino* altâ admiratione dicam: *Quid existimarem de co labili anno? Superiores dies anni illius*

illius jam transierunt, nec tenentur: futuri autem nondum venerunt. De eo fugaci tempore quid cogitarem? quicquid de illo præteritum est, jam non est: quicquid de illo futurum est, nondum est. De illa die quid sentirem? Horæ matutinæ transierunt, horæ futuræ nondum venerunt. De ista hora quid tenerem? momenta quædam jam transierunt; quæ futura sunt nondum venerunt. In hac tem a desiderabili nullius temporis languorem, nullum laborem perfero, nullum sentio dolorem, summum accipio honorem, mutuum concipio amorem. Video cognoscendo, amo diligendo, laudo possidendo. Video Deum ad voluntatem, habeo ad voluptatem, fruor ad jucunditatem. In æternitate vigeo, in veritate clareo, in claritate fulgeo, in bonitate gaudeo: hic habeo permanendi æternitatem, cognoscendi facilitatem, requiescendi fœlicitatem. Quænam enim est hujus sanctæ civitatis fœlicitas, cujus Angeli cives sunt, Deus Pater Templum, Filius ejus splendor, Spiritus sanctus charitas? O beata civitas! ô sanctorum fœlix societas! De hoc fœlici consortio meo non minùs lætantur cæteri cives, quàm de proprio gaudio. Ibi enim situs sum, ubi unà omnium est lætitia. Nemo hic invidet dum bonum alterius videt: Unusquisque hic tantum gaudet de alterius mercede & gloriâ, sicut de sua propria. O me fœlicem tot electis sociis, tot dilectis civibus associari! perquam dulce mihi fuit de hac civitate in terris meditari? quantò mihi dulcius erit in eâ delectari, ab eà possideri, eúmque contemplari qui sponsus est animæ, anima animæ, Princeps gloriæ? Jamjam deducta est mea anima ad habitacula gemmis refulgentiâ; in cellaria optimis vinis diffluentia; in refertoria sacris delitiis redundantia; ubi nec desiderium pœnam generat, nec satietas fastidium parat; ubi nec fastidiet qui manducat, nec deficiet quod manducabitur; ubi reple-

repletur mihi nec torrente divinæ voluptatis ; inebriatur cor meum sobriâ ebrietate divini amoris. Hic fontes sunt vivi, valles amœnæ, hortorum deliciæ : Ibi cumulus fœlicitatis, superveniens gloria, thalamus festivitatis, superabundans lætitia. Ab hoc monte aromatum, speculâ cœlestium, video gloriæ decorem, sanctorum splendorem, & regiæ potestatis honorem. In hoc portu pacis, sinu securitatis est requies à laboribus, pax ab hostibus, amœnitas de novitate, securitas de æternitate, suavitas & dulcedo de Dei visione ; & quis non illic habitare vehementer desideret ? & propter pacem, & propter amœnitatem, & propter æternitatem, & propter Dei visionem ? Cognoscendo Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus sancti benignissimam clementiam, & habendo illius summæ Trinitatis notitiam. Ibi patebunt arcana divinitatis, videbitur & amabitur Deus ; ibi erit perpetuò beata visio, videre Deum in seipso, videre in nobis, & nos in eo. Tu (ô sancta Trinitas) es lux illuminatorum, requies exercitationum, patria redeuntium, vita viventium, & corona vincentium. O quanta est tua misericordia ! ô quam ineffabilis mutatio dextræ excelsi ! Heri eram in tenebris, hodie in splendore lucis ; heri in ore leonis, hodie in manu Mediatoris ; heri in porta inferni, hodie in deliciis Paradisi ; heri in cœtu seculi, hodie in sinu cœli : ô, si minimum cœlestium gaudiorum apprimè scirent, qui in terris vivunt, in sacris unicè operam navarent ; ne minimum momentum qui redimi non valet, inutiliter transirent : vitæ, non scholæ Theologi discerent ; viveréque melius quam disputare certarent ; summam eorum philosophiam scire Jesum Christum, & hunc crucifixum æstimarent ; oratores non tam politè quàm ritè, non tam limatè quàm cordatè dicere curarent ;

curarent; non tàm rhetoricis pollerent floribus, quàm religiosis operibus. Negotiatores in mundo ferre magis quàm inferre injuriam eligerent; optimam conscientiam opulentissimum lucrum cogitarent. Tunc fera illa & intoleranda bellua, nempe, *Avaritia* non tantoperè sæviret. Imò, omnes omnis conditionis homines tantâ refulgerent vitæ sanctimoniâ, ut nunquam excideret ab eorum memoria sententia illa consolatoria, *Venite benedicti [illegible]cipite Regnum.* O si mortales de cœlo cogitarent, [illegible] de isto honoris loco perpenderent, regno (scilicet) incomparabilis amoris, intentiùs sanè residium temporis cœlo sacrarent, & residium lampadis scrinio, residiumque vitæ pœnitentiæ dicarent: Tum nulla esset dies sine linea, nulla linea sine norma: minimam arenulam quæ per clepsydram currit, unâ saltem lachrymulâ aut singultu repensarent. Omnia mundana iis aliena esse ducerent: Auroram, diei limen, & vesperam diei examen facerent: Tunc manè corpora eorum suscitarentur, inertes somni excuterentur, lumina accenderentur, oratoria ascenderentur, & primitiæ diei Deo offerrentur: Tunc morti obviam irent, suaviter invitarent, & blanditiis hujus fallacis vitæ penitùs defuncti, amittendo vitam viverent, moriendo mortem perderent, perdendo vitam invenirent. Mortem ærumnarum requiem non cruciatam esse dicerent: Terrestribus imò spretis, cœlestibus fretis, in portum perpetuæ pacis attingerent. Si hæc secum diligenter discuterent habitantes terræ, mundo dehinc essent alieni, tibi (Domine) proximi & familiares amici. O utinam potui mea gaudia exprimere; in te (Deus) est anima mea perpetuò beata, beatis grata! novis canticis, mutuis gaudiis, amplexibus intimis: Jamjam ingrediar tabernaculi admirabilis tui locum; ubi

ubi lætitia est de peccatorum conversione, de terrestrium sanctorum adventu: unde expectant Angeli, novæ Hierusalem cives, civitates Dei ruinas reparari. Jam inter millia Angelorum refulgeo, inter agnellos Dei recumbo. Lætor jam perenni fruendo pace, cœlesti luce, Dei præsentiâ, æternâ patriâ. O dulcedo melliflua! dulcedo miranda! quam dulcis es in meditatione, dulcior in oratione, & dulcissima imò superdulcissima [illegible]eatitudine? Non est in toto me comprehendere [illegible] sufficit mihi possidere te, lætari in te, & laudare te, ô Jehovah, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ad quam beatitudinem inferre meam animam festina, & chò veni, Domini Jesu Christi gratiâ. Amen.

FINIS.

INDEX MEDITATIONUM.

1. *De vanitate Mundi.* pag. 1
2 *De Carnis voluptate & indulgentia* pag. 3
3 *De Diaboli insidiis* p. 7
4 *De Peccati fallacia* p. 9
5 *De hominis irrenati statu, ac miseria* p. 13
6 *De Conscientiæ Testimonio* p. 15
7 *De Passione Domini* p. 17
8 *De Mortis necessitate ac certitudine* p. 23
9 *De Renatorum statu* p. 28
10 *De Resurrectione Christi* p. 30
11 *De Amore Dei* p. 31
12 *De Sanctorum gratitudine* p. 34
13 *De Sanctorum Solatio in Civitate Dei.* p. 36